XV

la audivimus. Hunc tamen constitit scripta quedam in nullum
reducta librum nec aliquo insignita titulo. Que si illum
non satis in latinis licteris instructum ostenderent, eum tamen mul-
ta vidisse atque perspicacissime sensisse monstrabunt. Eg-
regium et Paulum Perusinum gravissimum virum curis in mus-
ceo quem et etate provectus et multarum rerum notitia doctus fuit
diu magister et custos bibliothece Roberti Jerusalem et Sici-
lie regis incliti. Et si unquam curiosissimus fuit homo in perquiren-
dis iussu et sui principis peregrinis undecunque libris
historiis et poeticis operibus iste fuit. Et ob id singulari in
amicitia Barlae iunctus que a latinis habere non poterat
eo medio innumera exhausit a grecis. Hic igitur scrip-
sit librum quem collectionum titulavit, in quo inter cetera
que multa erant et ad varia spectantia quecunque de diis gen-
tilium non solum apud latinos sed et apud grecos invenire potuit
adiutorio Barlae arbitror collegisse. Nec dixisse
verebor ego iuvenculus adhuc longe antequam cogitarem in hoc
opus animum meum traheres, ex illo multa avidus potius
quam intelligens sumpsi, et potissime ea omnia que sub nomine Theo-
dontii apposita sunt. Quem librum maximo huius operis incom-
modo, Biella impudice coniugis crimine eo defuncto cum
pluribus aliis ex libris eiusdem deperditum comperi. Puto igitur
eo tempore quo prohibitum primo cogitus est neminem illi italibus
equiparandum fuisse. Post hos et Leontium Pilatum
Thesalonicensem virum et ut ipse asserit prefati Barlae
auditorem persepe deduco, qui quidem aspectu horridus
homo est turpi facie, barba prolixa et capillitio nigro
et meditatione occupatus assidua, moribus incultus nec
satis urbanus homo, verum uti experientia notum fecit licterarum
grecarum doctissimus et quodammodo grecarum historiarum atque
fabularum archivum inexhaustum, esto latinarum non satis
adhuc instructus sit. Huius ego nullum vidi opus, sa-
ne quecunque ex eo recito ab eo viva voce referente
percepi. Nam eum legentem Homerum et mecum singulari
amicitia conversantem fere tribus annis audivi. Nec
infinitis ab eo recitatis urgente et alia cura animum
acrior sufficeret memoria nisi cedulis commendassem.
Similiter et Paulum geometram concivem meum quem
tibi rex inclite fama notissimum scio ad hec assu-
mendum aliquando ratus sum. Eorum noverim nullumque
alium tempestate hac adeo sinum arismetricam geo-
metriam et astrologiam aperuisse omnem ut huic
apperuere in tantum ut nil arbitrer apud illas illi
fuisse incognitum et quod mirabile dictu est et visu longe
magis quecunque de sideribus aut celo loquitur confectis propriis ma-
nibus instrumentis in hoc confectis oculata fide demonstrat
spectare volentibus. Nec est hic tantum patrie aut italis notus
longe quidem studiorum suorum perstilus fama clarior
est quam apud suos sit, sic et apud Britannos Hispanosque
et Astos quos penes hec in pretio studia sunt. Equidem
felix erat homo iste si aliquo fluxisset ardentior aut libera-
liori seculo natus. Quid tandem? Et Franciscum
Petrarcam florentinum venerandissimum preceptorem
patremque et dominum meum nuper rome ex senatus consulto ap-
probante Roberto Jerusalem et Sicilie rege inclito
ab ipsis senatoribus laurea insignitum inter veteres illu-
stres viros numerandum potiusquam inter modernos induco
quem non dicam itali omnes quorum singulare et peren-
ne decus est sed et Gallia omnis atque Germania et remotis-
simus orbis angulus Anglia grecique plures poetam no-
vere percepimus nec dubito quin usque Ciprum et ad au-
res usque tue sublimitatis nomen eius inclita fama detu-
lerit. Huius enim iam multa patent opera et metrica et
prosaica memoratu dignissima cetum de celesti eius
ingenio testimonium hinc inde ferentia. Stant enim
exitum cupiens adhuc sub conclavi clausa divina
Affrica heroico carmine scripta primi Affricani ex-
narrans magnalia. Stat bucolicum carmen iam
ubique sua celebritate cognitum. Stat liber epistolarum
ad amicos metrico scriptarum stilo. Stant preterea ingentia
duo epistolarum prosaicarum volumina tanta sententiarum tanta rerum
gestarum copia tanto ornato artificio splendentium
ut in nullo ciceronianis postponendas eas
censeat lector equus. Stant in medicum invective.
Stat solitarie vite liber. Et quem paucas post di-
es in lucem novissimus venturus est de remediis
ad utramque fortunam. Sunt preterea et in officina plu-
res quos cito eo vivente fabrefactos legemus in publicum.
Quis ergo hunc in teste renuat? Quis dictis eius fidem presta-
re deneget? Omnium paulo ante tenui calamo scripsisse
quot et quas eius possem supaddere laudes quibus
doctorum ab eo fides amplior deveniret sed ad presens dicta
sufficiant. Hec igitur que de novis dicerem
habui. Veterum ne de incognitis antiquis ab his videatur
omissum pauca dicenda supersunt. Dicent igitur hi me
inauditos a se inducere autores qui quia eorum nomina non
audiverint non illis integra prestanda sit fides.
Insipientis equidem est credere nil preter quod viderit si

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_937/0327

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG